



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Iesu crucifixi vestimenta diuidu[n]tur art. & hom. XLV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

IESV CRUCIFIXI VESTIMENTA DIUIDUNTUR. Artic. XLV.

Ioan. 19.
Matth. 27.
Marc. 15.
Lucæ 23.

Ioan. 19.

Matth. 27.
Ioan. 19.
Pſalm. 21.
Matth. 27.
Lucæ 23.

Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt & diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes super eis, quis quid tolleret. Et fecerunt quatuor partes, vniciq; militi partem. Et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed fortiamur de illa, cuius sit. Vt impleretur scriptura, & quod dictum est per Prophetam dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Et sedentes seruabant eum. Et stabat populus expectans.

HOMILIA XLV.

Ludibrium
Christo in
eius vestium
diuisione il-
laum quod.

Paupertati
Christi quo-
modo illu-
sum sit.

Paupertatis
amorem pro-
pter homi-
num deri-
siones non
esse perden-
dum.

Quod Christi vestes milites diuidunt, vel hinc eiusmodi haudquaquam milites credendi sunt, cuiusmodi equites dicuntur aurati, illi enim nequaquam probrosa & vilia hæc egissent, quæcumq; in Christum egerunt, hi in Iesu flagellatione & crucifixione: &c. Fuerunt igitur milites, hoc est, homines robusti, stipendiarij, atq; ad omne malum expositi, qui hominibus sceleratis aut reis quibusq; capiendis puniendisq; erant constituti: Hi itaque quia inopes erant & facinorosi, Christi vestes diuiserunt. Credendi sunt quoq; ludibrium Christo in hac vestium diuisione inferre voluisse, atq; ludæis in fauorem, Christo verò in opprobrium fecisse id spectaculi dum Christo quasi regi, qui regalia vestimenta reliquerit preciosa, illudunt: quæ pro suo iure ipsi in prædam sibi data vsurparent, atq; quasi de præda diuiti perironiam gloriantes, Christi irrident paupertatem. Christi verò tunicam idem non diuiserunt, quod inconsutilis erat & desuper contexta per totum. Videbatur enim illis indignum, hanc diuidi, quæ diuisa, nulla pars sua prodesset. Erat enim texturino opere & reticulato facta absq; sutura, & desuper contexta propter frigus cuiusmodi in Palæstina pauperes vti solebant. In quo Euangelista subindicat nobis Christi paupertatem. Vide quia in cruce & tormentis Christus positus, intuetur suam illudi paupertati. Videt quoque pia mater, super tunicam quam suis ipsa filio fecerat manibus, sortem mitti, atq; in prædâ verti. Videt præterea in opprobrium filio paupertatem verti, atq; propterea subsannari.

Paupertatem quam à Christo in sui crucifixione discamus, quomodoq; mysticè vestes Christi scindantur.

Discamus derisionibus hominum non moueri, quo minus diligamus paupertatem ac vilitatem: imo tunc beatos nos existimemus, si Christo conformes fuerimus paupertate: maxime autem, si propterea, quia Christo studemus placere, quia gestimus illum imitari, hominibus vertimur in sibilum atq; opprobrium. Non igitur propter hominum complacentiam

à via